

ESTICA
A. 5085


44.

869
1.2.108

CHRISTO,
Incola Fulgeat IN MELIUS rata Laus, FAX men-
terrarium si MARTIUS
aspice CHRIS-
tis honesta.

Quod animitus ap.

LAVRENTIUS LVDENIVS, J. V. D.
& Prof.



Aonidum in castris pro Rostris dicere, posse
Svaviter & doctæ modulamina flectere lingvæ;
Augustum titulum laudemq; decusq; meretur.
Hinc tua se Virtus tollit, MARTINE Magister,
Quando animum illustras invenili flore per Artes,
Sermonem doctè fingis, laudasq; Camænas,
Nectareoq; thymo spargisq; papavere dicta.
Macte pijs ausis, dum floret temporis ætas,
Aonidum in castris semper benè dicere pergas,
Svaviter & doctæ modulamina flectere lingvæ:
Sic Patriæ, sic Flos doctæq; vocabere Musæ.

Quod animo gratul: apposuit
M. ERICVS P. LERBECKIVS.
MARTINVS NICOLAI FAXINVS:
INCOLA




ORATIO
TERTIA
De
SCHOLIS

Quanta sit Scholarum præ-
sertim illustrium
ANTIQUITAS ET DIGNITAS

In Regia Upsaliensi Academia
Ab
HARALDO PETRI ALZHOVIO
memoriter recitata.

Dirigente
M. ANDREA JOHANNIS Prys.
Eloquentiæ Prof. P.

Anno Salvatoris MDCCCXXIII,
12. Aprilis,



UPSALIÆ

Excudebat ESCHILLVS MATTHIÆ,



44

IX
te
Ay

*impalsi di lo, qd
e chosissimor
4 aliq iu hcom*

ora longè dona acceperat. Quid dicam de eius filio Caino, qui quamvis apostata fuit, Scholam tamen eum erexisse, extra controversiam est, ex qua artis ferrariæ & Musicæ autores prodixisse, sacra testatur pagina. Sed ne quis conjecturis me uti putet, ad litteram in Genesi scribitur de Enocho, qui septimus ab Adamo, Patriarcha fuit, quod primus nomen Dei invocare cepit, non sanè inter privatos tantum parietes, quod ante ipsum etiam alij fecerant, sed in publicis cœtibus & conventibus, docens promissionem de semine benedicto, & ad Dei invocationem, cultumq; ardentem adhortans. Vnde & in Epistola Iudæ dicitur prophetaisse, quod alias in scriptura significat docere & interpretari Scripturas. Huius laudabile exemplum, reliquos Patriarchas, Jaredum, Mathusalem & Noachum quem Ethnici scriptores, Iannum bifrontem nominant quod viderit mundum ante & post diluvium, imitatos esse, in historia sacra annotatum reperitur. Iam adducam exempla Scholarum maxime illustrium in populo Dei, post legem datam. In primis nemo dubitare potest de Levitarum collegis & prophetarum gregibus, quin Scholæ fuerint. Samuel sacerdos & iudex supremus populi Dei, ingentem numerum discipulorum habebat, & ipse ante traditus erat institutioni Eli. Sic Elias, Elizeus, Esaias & prophetæ cæter,

quos filios suos nominabant. Sunt vero, antiqui boni filij, quoniam ut à parentibus corpus benè compositum, sic à præceptoribus animam benè affectam accipiunt. Iosaphatum Regem Iudæ piissimum & laudatissimum, tertio imperij sui anno in universas Iudææ Synagogas, viros doctos emississe, ex Paralipomenis, nemini non constat, qui populum legem docerent. Atq; hæc Synagoga simul ac negligentius haberi, & concidere cœperunt, Iudæi propediem, ad miserabilem illam captivitatem Babilonicam ruere cœperunt. Daniel vero Prophetæ in carcere Babilonico, primum institutus in omni scientia Chaldaeorum, beneficio Scholæ Nebucadnozoris, deinde & ipse Scholam erexit, ad quam non solum ex Iudaica; sed Chaldaeorum etiam ex gente juvenes admisit. Hæc sufficiunt, Auditores, de Scholis Veteris Testamenti, ad N. Testamenti tempora accedamus, ubi statim videmus præcursores Salvatoris Iohannem Baptistam, Scholam in frequentia magnâ discipulorum habuisse, ex qua & discipulos ad Christum legationis nomine, ablegavit. Christus ipse duodecim Apostolos & septuaginta discipulos informavit, quos deinde donis miraculorum ornatos, in omnes orbis terrarum longè disitas regiones emisit, ad serendam & propagandam Evangelij doctrinam. Fu-

*colligi poble
cos sedim
conitoy. 471
cipulos, quos*

*Supra in eodem
pore Genesij
lib. 5. c. 12.*
mae & diversae. Pharisei, suos habuerunt discipulos,
de quorum numero quosdam ad Christum miserunt
cum Herodianis quaestionem proponentes de dan-
do caesari censu. Paulus electum Dei organum, se
ad pedes Gamalielis doctoris legis Dei diligenter in
patria lege institutum fuisse, ipse fatetur. Cum Mar-
tyre invictissimo Stephano, disputabant diversae se-
ctae ex Scholis Libertinorum, Cyrenensium, Alex-
andrinorum, Cilicum, & Asianorum. Quinimo
in omnibus politicae Iudaicae oppidis & vicis, publi-
cae eiusmodi Scholae, fuerunt institutae, à Mose pri-
mum, ac successive deinde ad Christi tempora tra-
ductae, quod Veteris & Novi Testamenti historiae
passim, luculenter testantur. Non vero cogitan-
dum est in populo Dei solum fuisse Scholas, sed &
inde ad Ethnicos easdem translatas & perpetua serie
inter praecipuas gentes in hunc usque diem conserva-
tas, quod praeter sacras literas historici & Chrono-
logi fide digni, non dubie tradunt. Vt Gymnoso-
phistarum Chaldeorum Persarum, Indorum Pheni-
cū aliasque paganorum taceam Scholas. Clarissima
fuit Olim apud Aegyptios *Schola Alexandrina*,
in qua Ptolomeus Philadelphus Rex optimus, Bi-
bliothecam instructissimam erexit, in qua fuere
50000. genera librorum, in quam item sacra Bi-
blia reposuit, quae, antequam opera LXX. interpre-
tum,

terminat Helaurum abiconditum
gnatum. In Italia floruit longè maxime *Schola
Hetruscorum*. Nec exigua fuit in Graecia *Schola
Corinthiorum*, cui Tyrannus Dionysius brevi praefu-
isse dicitur. *Atheniensis* v. *Schola* omnium gen-
tium literis & lingvis olim merito celebrabatur.
Fuit enim non modo omnium artium liberalium,
scientiarum & disciplinarum mater; Sed & artis
militaris, rerumque ad pacem & bellum spectantium
magistra. Ab hac Schola quae Academia vocata
est, Scholae illustres Academiae vocantur; Quod Pla-
to in nemore quodam suburbano Atheniensium ab
Academo quodam heroe, Academiae nomine vo-
cato, docere ac disputare solebat. Ab Aristotele
vero capite & principe Philosophorum, quos Peri-
pateticos vocamus, Lycæa nominantur Scholae il-
lustres. Is enim cum triennio post annum aetatis suae,
decimum septimum, Socratem audivisset, se in Pla-
tonis disciplinam dedit, inque eius Gymnasio, circiter
viginti annos versatus est. Deinceps cum legatio-
ne Atheniensium functus esset, videbat, se absente,
Academicae Scholae, praefectum Socratem fuisse con-
stitutum, Lycæum elegit in quo Philosophiam do-
cebat. Quia vero discipulorum turba circumfusus
in ambulando disputabat, Inde Peripateticus ille, à
περιπατῆς nominatus, Scholis nomen Lycæi, à loco,
B de-

In
to
Ac
alodit. Quantu
bono. Quid. Graec
cor. Scholae
cum hoc philo
y. Sory. primum
y. laborum et stri

gistotelem alebant, floruisse existimabimus? Quanta fuit Scholae Atheniensis celebritas cum ibi lumina Eloquentiae & Poeseos, omnium seculorum, & omnium aetatum maxima, Virgilius, Horatius & Cicero studuerunt. Praeter ceteris Cicero, hic in tanta fuit admiratione, ut Apollonius cum illum audiret dicentem, dixerit se dolere, quod videat doctrinae & Eloquentiae laudem, quae sola Graecis reliqua fuerat per Ciceronem ad Romanos translata. Cicero postea filium suum Crassum Athenas misit, eumque Cratippo commendavit. Et in actis legimus Apollonem Paulum quem B. Hieronimus, alicubi nominat omnis humanae Eloquentiae lumen, tonitru gentium, rugitum Leonis, in hac Schola cum Stoicis & Epicureis de doctrina Caelesti disputasse & disferuisse. Paucis hic notationem nominis Scholae ut & Academiae, quoniam de illorum Antiquitate, totus meus est sermo, oratione perstringam. Scholae vocabulum a Graeco σχολα quod est otior, deductum est, quia Musarum cultores ceteris rebus omissis liberalibus studiis vacare debent: vel etiam a vacatione seu relaxatione, quae studiis perpetuis aliquando danda est, ne vires animi & corporis defatigatae omnino pereant. Iuxta illud.

Quod caret alterna requie durabile non est.
Cura

sto liberalis; vel pro inhonesto & illiberali. In omni otio literarum, Studiosi vacant, sed literario. De altero otio impuro & illicito loquitur propheta Ezechiel, inquit, Ecce haec fuit iniquitas Sodomae sororis tuae, superbia saturitas panis & abundantia, & ocium ipsius & filiarum eius, & manum egeno & pauperi non porrigebant &c. Hoc ocium fons & radix est omnium malorum, & homini perniciosissimum. Sicut enim per rimam sentinae aqua latentiter intrat, & excrescit, donec navis per nautarum incuriam demergitur: ita ex otio & ignavia cogitationes pravae & concupiscentiae multiplicantur, donec navis cordis eis succumbens, peccato periclitetur inquit Bernhardus. Ab ocio ergo liberali & honesto nomen habent Scholae, quale fuit illud L. Luculli qui post praecleara Reipub. munera aetate provector, totum sese ocio Philosophico dedit. Hoc ocium omnium est laboriosissimum, sed tamen malorum omnium fomites extingvit, ideoque dicit unus ex patribus. Si non vis decipi a diabolo, fac ut te semper occupatum inveniat. Haec de Scholae notatione, nunc de Academiae dicam. Academia ex ακαδημα & δῆμος derivari solet, quasi Academia sive Schola sit medicina rudis & inepti populi, nebulam ignorantiae abstergens, caliginemque errorum atque inscitiarum expurgans. Veluti enim corpus morbi-

Cum ocium
be faciam accipi
tar, ut p. 70 v. 10

lx
t
A

*damus languidum
utrumque illi
genti cura vit
dici recipiatur*

et recuperare nequit, ut & corpus Reipub. multis laborans morbis sine Academicis salubre esse non potest. Et sicuti homo duplici morbo laborat, animæ & corporis; sic ex Academicis sive Scholis, duplicis generis unice his morbis presentissima veniunt remedia. Vnum genus animæ æternam, alterum huius vitæ temporalem concernit salutem. Quomodo quæso potest sanari miseri hominis anima, ex peccatorum magnitudine & sensu iræ divinæ, ægra & affecta, nisi ex Scholis prodeant illi qui sacras literas didicerunt ex quibus dicta scripturæ, vitæ & spiritus plena agræ menti instillent, quibus sese afflictus sustentet & erigat, Deique promissionibus & merito filii salvatoris ac redemptoris nostri unice innitatur. *Anima morbis Scholas medicamentum dare dixi.* Quomodo vero corporis sive temporalibus Reipub. morbis medentur? Maximis certe aliquando laborant Respub. vitis, ut nec iustum ab iniusto; nec turpe ab honesto; nec utile ab inutili discernere possint. Hic ergo necesse est ut ex Scholis prodeant viri qui Reipub. ægrotanti consulant, & de virtutibus, de officiis cives instituant, quidque in quaque re sequendum, quid fugiendum sit. O quam præclaram ergo operam vos ponitis, o præceptores o Professores Academici, qui docetis in Scholis publicis, ex quibus inde usque ab initio mundi

haurerunt virtutem & præceduntur. Respublicæ invenerunt remedia ægrotantes; Ecclesiæ veram servarunt doctrinam de Deo. Quam vero aliam ob causam à pijs olim Canonorum Collegia & Monachorum claustrataque cenobia constituta fuisse putamus, nisi ut non ociosorum hominum illa domicilia, sed & sacrarum & humanarum literarum officinæ essent; ex quibus cum religionis præsidia, tum Reip. propugnacula peti ac depromi possent. Itaque & Academia à Pontifice Romano erecta & confirmata pro veris Academicis habentur & agnoscamur, quales sunt in Germania & alijs regnis locisque per plures. Et ex pacto convento antiquo inter imperatores & Pontifices Romanos, jus confirmandi universitates & ad imperatores & ad Papam spectat. Hinc nonnullæ celeberrimæ Academiae ab imperatoribus sunt erectæ confirmatae & privilegijs ornatae, quædam à Pontificibus. De cæteris aliarum gentium Academicis singularim dicere, non permittit temporis, qua circumscripti sumus angustia. Nostram hanc celeberrimam Patriæ Academicam, ut sicco pede præteream, non puto conveniens esse. Quæ licet cum omnibus Europæ Academicis, de Antiquitate concertare non possit. Non tamen adeo recens fundata est, ut in tenebris Pontificijs cæperit sub Stephone Sture Seniore,

*di. asac. sig.
tempor. sig.
con. locum de
ca. in cor. a
San. for. an. un.
t. in. an. et. y. n.
Pontific. an. et. i.
ban. alia. ac.*

B 3 re,

28. et a pon-
tifici Roma-
no Sixto IV
quillogi fira-
Demi & Bona-
mioris liter-
nata amplifi-
mis. Passa
17

eis ab eo tempore mutationes insignes. Diu submersa
& prostrata jacuit, iterum erecta. Sed postquam pri-
mum vigorem, quem in papatu habuit, amisit, perpetuo
quasi in cunabulis agens, ad summum rectæ con-
stitutæ Academiæ fastigium non pervenit, propter ini-
quitatem temporum & bellorum tempestates, quibus
cum nostra gens ultra hominum ferè memoriam gra-
vissimè jam conflictatur. Jam vero beneficio clementis-
simi Dei & Serenissimi Regis GUSTAVI ADOLPHI
ad omnem honorem & excellentiam ascendit. Sic, Aus-
ditores præst. Scholas ab Adamo ad eius filios & poste-
ros, cum artibus ingenuis promanasse, tandemq; longa
annorum serie ad Hebræos, Chaldaeos, Ægyptios, Græ-
cos, Italos aliasq; orbis terræ nationes, atq; ad nos de-
rivatas esse audivisti. Jam ad alterum nostri propositi
membrum me accingo, quam brevissime faciendo ver-
ba de Academiarum Dignitate. Non diu vos detine-
bo, quæso mihi adhuc modicam quemadmodum cœ-
pistis, benevolentiam, exhibeatis. Magna sane & lon-
gè lateq; patens est Academiarum Dignitas, de qua, si
multa dicerem, vererer ne tantæ rei majestatem oratio-
ne & verbis extenuarem. Ut tamen aliquid dicam
præterquam quod jam dictum est de Antiquitate Aca-
demiarum, quæ certè non parum facit ad illarum præ-
stantiam & dignitatem. In primis manifestum est,
quod jus instituendi & erigendi Academiæ & publicè
docendi autoritas à nullo alio quam à cælesti Numine
& Cæsario tribuatur, ut constat ex lege quadam Fri-
dertei Barbarossæ, codici Justiniano inserta. Qualem
vero potestatem habet imperator in orbe Romano, e-
andem

tatibus ac privilegijs ornare possit. Illud enim regale
est, in quo Regiæ potestatis eminentia & præsidium re-
gni consistit. Et sicuti olim Athenis Sophocles lege
cavit, ne Scholæ erigerentur, absq; senatus & populi de-
creto. Et ut privilegia universalia ex lege duodecim
tabularum, non nisi centuriatis comitijs & à populo
concedebantur; ita hodie Academiæ non nisi ab eo, qui
regalia jura possidet, & qui Reipub. gubernacula, suo ju-
re moderatur constitui, & privilegijs confirmari possunt.
Nam si cuilibet utpote potentibus urbibus vel principi-
bus, sine consensu & voluntate imperatoris vel supre-
mæ Regiæ potestatis, hic dispensare liceret, multæ eri-
gerentur Academiæ, ad seminanda potius vitia, quam
propagandas virtutes, & ad evertendam Ecclesiam
magis quam conservandam veram religionem, ut lo-
quitur Middendor. Ex jure constituendi Academiæ,
illarum Dignitatem ostendi. Jam deinceps si confide-
remus potestatem, quæ pro tempore fruuntur illarum
Rectores, nec minus exinde Dignitas illarum illucescet.
Habent enim sceptrorum jus. Quod certè dignitatis
cujusq; eximie certissimum est argumentum, denotans
excellentiam Regiam, & summam in Rectoris persona
potestatem à magistratu supremo, ipsi & Academiæ
condonatum cum jurisdictione in subjectos. Alia vero
est ratio Scholarum trivialium, quæ non habent jus uni-
versitatis, nec jurisdictionem in suos alumnos, in mo-
dum potestatis politica; sed in modum castigationis
Oeconomica; sive patriæ quæ fit virgis & ferulis. Un-
de ipsi Reges & principes, & qui in magna sunt emi-
nentia, titulos Academiæ Rectorum, non detrectat.
Et

an omnes
quilibet Rex
in suo Regno
et Academijs
instituit, loca
et jura illarum
et, in illis
et, in illis

it in q buda
Academij
ubi extor
cipit dignit
non pectoran
Vocantur
ina cum Res
tore pcedant

procedunt. Vltimò Academicarum præminentia in eo
consistit, ut habeat potestatem conferendi præmia ho-
noris, in benemeritos, ut gradus Doctorum, Magistro-
rum, Licentiatorum & Bacchalaureorum. Non sunt
v. tales tituli omnino inanes, neq; sine gravissimis, ma-
ximisq; causis à majoribus nostris Instituti & recepti
sunt.

Etenim,

Artes nutrit honos excelsaq; indolis esca est

Gloria —

Dixit Anglicus poeta, Chalonerus & juvenalis. Quis
n. virtutem amplectitur ipsam, præmia si tollas. Ne ve-
strâ benevolentia abutar, finem dicendi iam faciam.
Et cum tam Antiquæ sint scholæ, tanto in precio apud
gentes cultiores habitæ, tanta earum sit dignitas & præ-
minentia ut in illis luceat regalis majestas & imperij
decus. Quis non agnoscit maximum Dei esse benefi-
cium, quod scholam universalem sive Academiam &
scholas particulares in Patria habeamus. Divina igitur
majestati hoc propter gratias agimus immortales,
eamq; ardentibus votis precamur, ut Ecclesiam voce
Evangelij in hac septentrionis ora plantatam & Aca-
demiã ac Scholas Patriæ, Ecclesiæ & Reipub. semi-
naria tueri ac conservare clementer velit, nosq; omnes
ac singulos, docere, gubernare & regere, ut sibi grata,
Ecclesiæ, Reipub. & animabus nostris salutaria sem-
per faciamus, & quævis optimarum artium ac lin-
guarum studia feliciter discamus &
percipiamus.

D I X I.